

runt defendere Lotharii opinionem, de qua supra? Idem respectus, eadem generalitas discentibus proponi debebat, si cum fructu proponendum quid videbatur. Verum homines illi pro suo proposito, & si quando in materiâ aliqua de quæstione dubitant, colligere solent in chartulam quædam generalia, quæ tamen postmodum in ordinem corripiunt & communicant, ut magni & docti videantur, & satisfacere officio suo: sed hæc omnia ocularis demonstratio evidentius probat, quam ut allegari debeant.

### THEORICORVM PRÆCEPTORVM

#### *propositio vigesima quarta.*

*Concessa  
jurisdictione  
cum ca-  
stro.*

Ambiguam quidem, sed utilem habet inquisitionem, si Princeps simpliciter cum castro jurisdictionem concedat, an & merum imperium concessum intelligi debeat? Vel si Princeps nobili in feudum concesserit jurisdictionem hoc modo: **Wir beleyhen ihn in diesem Flecken mit dem Gericht.** An censetur concessisse non ordinariam tantum, sed & extraordinariam jurisdictionem & merum imperium? Quod licet negandum videatur de jure Justiniano *per l. 1. in princ. ff. de offic. ejus. &c.* & ea, quæ supra tradita sunt, & Zasius notat *ad l. 3. num. 11 ff. h. tit.* Judicium tamen Interpretum & jus hodiernum aliud sequitur, Wesenbec. *consil. 95. num. 18. & seq.* Laurentius Kirchoffius *cent 5. commun. opin. conclus. 58.* Covarruv. *pract. observat. cap. 1. num. 16.*

### PRACTICORVM OPINIO.

Hic observandum, quod communis opinio largiatur concessionem meri imperii: sed illa malè intelligitur, & accommodatur à Theoricis & particularibus JCTis. Nam id non fit ratione & vi verborum, sed potius ratione circumstantiarum,

rum,